

DE MARI GERMANICO.

dunt, pari spacio quo in superioribus superabantur. Pro locorum quoque latitudine diuersificantur quantitates æstuum. Accidit præterea sæpè magnæ diuersitates ex veloci Lunæ motu. Maritimis insuper regionibus distantibus secundùm longitudinem gradibus 90. seu quadrante, contingit eodem tempore, uti his accessum, ita illis recessum Oceani fieri. Regionibus verò per diametrum seiunctis, seu distantibus secundùm longitudinem 180. gradib. accessus quidem & recessus simul fiunt, cum eundem habeant Horizontem, sed illa diuersitate qua illis secundus accessus fit, cum hic primum habeat. In vasto tamen pelago non eandem omnino rationem motus obseruari referunt nautæ. Nam sæpè ventorum impetu versus quamcunque partem mundi mare rapitur. Sæpè etiam natura loci eadem perpetuò labitur via. Nonnunquam contrarijs fluctibus ex diuersis partibus confluit & conflictatur, unde accessus recessusque in vno eodemque tractu quoque, per quaslibet horas, & horarum partes mutantur. Demum etiam hi qui interiora regionum colunt, posterius accessum & recessum percipiunt, quàm maritimi. Ut autem summatim dicam: Motu Lunæ, & proprio & illo, quem raptu primi mobilis habet, eiusdem præterea ortu occasuque, vel recto, vel obliquo, latitudine præterea & viribus, tum & positura eius ad stellas erraticas & fixas, potestateque quam in singulis signorum obtinet mirificè cum tempus, tum modus & quantitas fluxus refluxusque variantur. Adde quod ijdem æstus alijs alijsque locis manifestiores, obscurioresque, aut penè nulli sint, ut cum de nostro hoc Germanico mari nonnihil dicamus. Certum est æstus in eo nullos percipi, nisi quantum ventis concitatum, nunc in hanc, nunc illam partem vndibundum rapitur. Coroque flante altius aliquando intumescit, neque vsquam latius dominatur mare, multum fluminum huc atque illuc ferens, nec littore tenuis accrescit aut resorbetur, sed influit penitus atque ambit. Cumque Hispanicus Atlanticusque Oceanus profunditatis penè sit imperscrutabilis, ita ut proiectum plumbum ad trecentas aut quadringentas orgyas (quas vlnas Latini dicunt, mensura est vtriusque brachij extensi) necdum fundum pertingat: Germanicus tamen plerisque locis sexaginta orgyas tantum habere compertus est, aut vix vsquam centum orgyiarum altitudinem excedere, præterquam Norwagicis littoribus nonnullis, ita in immensum abruptis profundisque, ut imperuestigabilis censeantur altitudinis. Insuper & hoc memorandum, quod cum reliqua maria penè omnia aquis constent amarissimis ac salissimis, ut muria videri queant, hoc nostrum mare dulcibus potuque haud omnino insuauibis vndis conflatur, idque ob diuitem maximorum fluminum è Sarmaticis montibus influxum, quodque Sol ijs locis imbecillior videatur, quàm ut id quod limpidius leuiusque est aqueæ substantiæ, eleuare queat: quam causam nonnulli asserunt præcipuam falsedinis in mari, vel ipso Aristotele auctore lib. Meteorologicorum secundo, capite tertio. Quæ si sufficeret satisque esset idonea, Amalchium quoque & Chronium mare falsedinis expers foret, cuius contrarium con-

tingit. Quare liquefactæ niues potius dictique fluuij è Sarmaticis montibus profluentes, id mare dulce limpidumque reddunt. Vnde illud quoque emergit, cur facilius reliqua maria onerarias naues ponderibus maximis onustas sustineant, quàm id, de quo hinc agitur: solent quippe falsa maria plus oneris ferre ob aquæ crassorem substantiam, tenuitas siquidem leuissimis ponderibus peruia est. Hispanicus quippe Oceanus sustinet onera ea quæ ex Germanico mergerentur. Natatio proinde in hoc quoque mari faciliior existit, quàm in cæteris. Nauseam tamen quæ nauigantibus contingere solet, vomitumque excitat maiorem, ob vehementiores motus quibus modò ad æthera vsque attolli, modò in imum vsque infernum deprimi videtur. Generali autem vocabulo Germanicus Oceanus, à vicina quam alluit Germania, appellatur: & à Gallico Britannicoque qui Occidentalis est, in Orientem Sarmatiam vsque porrigitur, & à nouis accolis nomenclaturam sumit Septentrionale, Ptolomæo lib. 2. Arctoum Aquilonare Borealèque mare, à Septentrionali plaga, in qua positum est, nuncupatur. A Cimbris vetustis accolis Cimbricæ Cherfonesi habitatoribus Cimbricimbricum. A Baltia peninsula, quæ tria continet Aquilonis regna, Daniam, Suetiam, ac Norwegiam Balticum mare, id nomen à latratu illi vendicant, quòd fluctuum ac æstuum collisio latratum edat, & *Bellen* lingua eorum vernacula latrare sonat. A sinu Codano Codoneum, vel si mauis à Gothis, aut Gedonum vrbe, quam Dantiscum cognominant. A Sueuis Sueuicum Tacitus vocat, Vandalicum à Vandalis, Scythicum à Scythis, Sarmaticum à Sarmatis. A Barbaris populis (ita Romani peregrinos dixere) Barbarum. Sueticum à Suedis insularibus, Rigense à Rugijs, Pomeranicum à Pomeranis, Borussium seu Prutenicum à Borussijs Prutenisque populis, Liouonium à Liouonijs, vernacula appellatione, *dat Deutsch meer, die Ostersee, die Nordsee*, à Septentrione vel simpliciter *die See*, quod nominis stagnum significat, unde maritimæ seu stagnales vrbes *die Sehestert* appellantur, *der Balt*. Et à faucibus quas lingua *slundt* dicunt *Ostensundt, Orsundt, Gronsundt, Noordsundt, Srelesundt, Osterfalt*, id est, sinus Orientalis, *Iobstmeer, Imstrandt*. Codanus sinus quod haleces nobis largiatur, à quibusdam *der Heringsee* cognominatur. Post Norwegiam est aliud mare Pigrum, hoc est glaciale, de quo Plinius lib. 4. cap. 13. Historiæ mundi, in hunc modum scripsit. Septentrionalis Oceanus Amalchium cum Hecatens appellat, à Paropanis amne, qua Scythiam alluit, quod nomen eius gentis lingua significat congelatum. Philemon Morimarufam à Cimbris vocari, hoc est, Mortuum mare, Græci scriptores hunc Oceanum seu mare Scythicum, qui in extimo Septentrione, ob immensum eius cæli gelu, perpetua glacie obductus videbatur. Cronium, id est, Saturnium & frigidum appellarunt. Tacitus Pigrum ac prope immotum vocat. Atque hæc sunt quæ obiter de hoc Mari dicenda putavi.

SVETIA, GOTHIA ET NORVVEGIA.

II

Nordwegiæ nomen minimè obscurum est. *Nordt* enim Septentrionalem ventum seu plagam significat, & *Vveg* viam sonat, eo quòd in ipso Septentrionis vertice sita sit. Hanc Balthiam pen' insulã nonnulli vocant, à vicino mari Balthico, quòd à latratu sic dictum volunt. Vnde Chonradus Celtis. in Odis lib. 3. quod nimirum fluctuum & æstuum collisio latratum edat, Hos versus cecinit.

Balthæus dictus, sinus à latratu

Clauserat nostrum glacialis orbem.

Hæc itaque Balthæa pen' insula tria in se regna complectitur: quorum hæc charta picturam exhibet, Danicum, Noruegicum, & Suedicum. Dani itaque Cimbrorum antiquorum sedes tenent, qui *Vvige-wonum* natio, extremiq; Germaniæ populi, prope Saxones in littore Oceani Germanici, pen' insulam, in Boream à Saxonibus procurrentem, quæ ab illis Cimbrica Chersonesus, inter duo maria Britannicum Occidentale, & Germanicū Orientale positam, incoluerunt. Iuxta quam etiam nū in Baltico mari, opposita Holsatiæ & *Vvagriæ*, antiquæ gentis nomenclaturam retinēs, Insula est: Vulgò ac corruptè *Fimbria*, alijs *Imbria* pro *Cimbria* appellatur. Veterum itaque Cimbrorum sedes Dani ex insulis Germanici Oceani egressi nunc occupant, & Cimbrica Chersonesus postmodum *Iutia*, nunc etiam *Danomarchia*, quod *Danis* subiecta sit, dicitur. Vbi *Albis* fluvius & *Chalusus*, id est, *Drauenna* in mare feruntur. Continetque hæc Cimbrorum pen' insula præter *Holsatiæ* atque *Stormatiæ* ducatus, quibus & *Nordalbingiæ* nomen *Scaniam* seu *Schoinlandiam*, *Marforum*que terram, quatuor Episcopatus: *Slesuicensem*, *Ripensem*, *Vibergensem*, & *Archufensem*: vrbes habet *Aldenborgum* quæ & *Stargardia* & *Brauesia*, *Flensborgum*, *Hadersleuū*, *Worckheimium*, *Candingum*. Ad hanc *Daniam* quoque referuntur, quæ in *Codano* sinu comprehenduntur, *Insulæ* nobilissimæ: vt sunt *Fuinia*, *Langelandia*, *Zallandia*, *Fimbria*, quam modò *Cimbriam* dicendam ostendimus. *Rugia* quoque cuius populi *Rugij* à *Tacito* recensentur. *Falster Muen*, & famatior his *Sialandia*, longa circiter 23. miliaribus Germanicis: vbi autem latissima est, deprehenduntur miliaria Germanica sedecim. In qua *Copenhafnia* sedes Regia, regni que metropolis, & vniuersali studio celebris, & præter has etiam complures aliæ, quibus *Orcades* *Hebrides* que annumerantur. *Loci* aer frigidus, durusque. Solum est vt cunq; fertile, ita tamen vt plus emolumentum è mari capiant incolæ, quàm è terra ob piscium summam abundantiam, & halecis capturam ditissimam. Huic in Septentrionem iungitur *Nordwegia*, quæ *Vermelandiam* ducatum continet. Vrbes verò in ea cæteris magis insignes ac famatæ sunt, *Nidrosia*, quæ aliàs *Truntheyin* dicitur, sedes *Archiepiscopi*, regni que *Metropolis*, circa quam lacus qui in summis etiam ac medijs frigoribus nunquam congelatur. Est & *Episcopalis*, *Staffanga* & *Hamaria*: *Salisburgum* verò & *Congella* emporia sunt, quibus ob portuum commoditatem, ac mercatorum frequentiam præferuntur *Bergæ*; quæ & ipsa *Episcopalis* est. Ex his pisces ex *Afellorum* genere, frigore in fustem indurati, exportantur tanta copia, vt toti propemodum *Europæ* *Cibaria* præbeant, salpas, nonnulli, alijs *strumulum* vocat: Germanis *Stockvisch* dicitur. *Pellum* insuper pretiosissimarum locupletissimam mercaturam exercent. *Adiacent* *Nordwegiæ* in *Oceano* *Septentrionali* (qui *Chronium* mare ab *Eustatio* dicitur, quod ibi *Saturnus* ob frigiditatem regnet, vel vt aiunt, quod amputatos testiculos in id mare proiecerit) *Insulæ* permultæ, quarum præcipuè sunt *Schetlandia*, prope *Cimbricam* *Chersonesum*, *Fare*, *Samiam*, *Inter Argestem* & *Magistrale*. *Islandiam* habet (de qua postea) & innumeras alias. *Gleba* regni sterilis & infœcunda, vt plurimum ac petrosa, nec oliuetorum, nec vinetorum ferax: frumenti non nihil producit. Sunt tamen loca nonnulla multis *Daniæ* locis præferenda ob fertilitatem. *Maris* autem *Noruegici* littora perhibentur imperscrutabilis passim profunditatis. De quibus sic scribit *Olaus Gothus*: Sunt *Septentrionalium* regionū certi sinus *Oceani*, littoribus *Noruegicis*, scilicet *Roest* & *Loffoeth*, inter quos tantus est maris hiatus vel *Charybdis*, vt incautè appropinquantes nautas, sua repentina circumuolutione, vi & industria gubernatoris adempta, abiorbeat in momento. Circa hæc littora non rarò *marinas* *Beluas*, quas *Balenas* *Cetos* que vocant, conspiciere est, quorum quidam magnitudine quatuor iugerum perhibentur. ferunt præterea

fontes ibi existere, qui quoduis sibi immersum siue corium, siue lignū, siue aliud quid sit, in saxa conuertant. Hæc itaque *Nordwegia*, parte sua austrina, *Daniæ*, sub cuius iam imperio est, iungitur. Ad ortum à *Suetia* dirimitur montanis, *Dofre-fiel*, siue *Dofrinis* *Alpibus*, tantæ molis & sublimitatis montibus, vt multorum dierum itinere versus occidentem seu orientem proficiscētibus, ob indigestas niues perpetuò appareāt albicantes, quasi candidissimæ nubes in altissimo aëre condensatæ. Ad *Græcum* ventum habet montana *Pilapia*, ad *Septentrionem* mare *Crōnitum*, eiusque littori obiectam *Gronlandiam* *Insulam*: latera autem *Occidentalia* alluit oceanus *Septentrionalis* & *Germanicus*.

Swedia, à *Suionibus* ac *Sitionibus* denominata videtur, qui *Sueuorum* gentes fuere, in *Germanico* *Oceano* siti, nec ineptè videri possunt ij, quos nostra ætas *Suedos* & *Suecos* vocat, aliquot saltem literis mutuatis, ac eorum regio pro *Suionia*, *Swedia*: Amplissimum regnum in plurimas diuiditur prouincias, quarum diuersi etiam populi numerantur. Ex hac enim eiusque insulis *Gothia* præsertim, tanquam ex hominum officina, seu *sagina* circiter 34. populi, ceu examina quædam in adiacentes, & etiam remotas regiones euolarunt, è quibus recensentur *Gothi*, *Ostrogothi*, *Sestrogothi*, *Gepidæ*, *Samogetæ*, *Massogetæ*, *Huni*, *Amazones*, *Cimbri*, *Parthi*, *Suedi*, *Longobardi*, *Turcilingi*, *Anares*, *Heruli*, *Winuli*, *Sueui*, *Bulgari*, *Suiceri*, *Tahiphali*, *Dani*, *Daci*, *Sclaui*, *Rugi*, *Alani*, *Burgundi*, *Sembi*, *Liوني*, *Sciri*, *Nortmanni*, *Picti*, *Carpi*, *Catthi*, & *Cymmerij*. Prouinciæ autè regni huius numerantur à meridie ascendendo: *Hallandia*, *Kindia*, *Smalandia*, *Ostrogothia*, *Westrogothia*, *Nercia*, *Sudermania*, *Firingia*, *Dalecarlia*, *Helsingia*, *Iemptia*, *Midelpadia*, *Angermania*, *Boddia* occidentalis, *Lappia*, *Finmarchia*, *Scritofinnia*, *Corella* *Boddia* orientalis, *Tauesthia*, *Finlandia*, ac *insulæ* permultæ: quarum præcipuam *Gothia* est in mari *Sueuico*, pleræque autem in *Liunico* ac *Boddico* sinu. *Stockholmia*, non minus emporio ac mercatu quàm sede Regia nobilis ciuitas. *Vpsalia* *episcopalis* est, *Sudermania* ciuitas est, *Nitropia* & *Nordercopia*, *Dalecarliæ* (quæ sic dicta est, quod eius incolæ inter valles confideant, *Dal* enim vallis, & *Karle* virum significat) ciuitas est *Alata*. *Helsingiæ* autè ducatus, *Erberad* oppidum est *Mildelpadiensis* ducatus, vrbs est *Borgela*. *Argemaniæ* autem *Rosy*, *Norduialing*, *Selana* & *Netra* vrbes sunt. *Swedi* nonnunquam integros *Pagos* regis iussu, permissiue in alia loca transferunt, commigrantque. *Laponia* quoque *Scandiæ* regio est post *Suetiam* versus *Aquilonem*, ab inhabitatoribus ita appellata. *Germani* enim simplices, fatuos, ineptos, parumque idoneos *Laponces* vocant. *Stricta* hi veste vtuntur, toti que corpori aptata, ne quid impediendi faciat operi. *Hyeme* vtuntur veste integris pellibus phœsarū siue *vsorum* artificiosè laboratis, eas nodo atringunt supra caput, soli que oculi patent, reliquo corpore toti contexti sunt, quasi in culeum infuti, nisi quod hæc expressa per membra omnia ad commoditatem, non ad pœnam laborata est. Hinc creditum quod sint monstruosi achirsuto corpore instar brutorum, & *Wildlappen*, à *syluestri* scilicet habitu cognominati sunt: domos nō habēt, sed *Tabernacula* quasi *Castrensia*, mansiones sæpè transferūt, *Hamaxolij* sunt, id est venationibus plurimum student. *Agrū* non colunt. *Terra* serpentem nō fert, pisces plurima copia capiunt, hocque prouentu viuunt *Ichthyophagorum* *Aethiopiū* more, atque vt hi feruore nimio, sic illi frigore excoquant & edomant in farinam. Tantum denique superest capturæ, vt eius plurimum condant in *cetarijs*, & exportēt in vicinas terras *Nordthouoniam* & *Russiam* *albam*. *Commercia* permutatione & pecunia agunt, mutuo consensu tantum, & nullo sermone communicato, atq; id non propter ingenij inopiam & mores brutos: sed quòd linguam peculiarem & vicinis ignotam habent. Gens est validissima, & diu libera fuit: arma *Nordtwegiæ* *Suetiæ* que sustinuit, donec tandem sub imperium concessum & tributum pendit pretiosas ferarū pelles. *Finmarchia* ac *Scritofinnia* extremæ *Scandiæ* regiones versus *Boreā* sunt. Hos *fennos*, miræ feritatis ait esse *Tacitus*: *Horum* regio etiam æstatis tempore niuibus nō caret: nec aliud (vt pote feris ipsis ratione non dispares) quàm crudis animantium carnibus vescuntur, de quarum etiam hirtis pellibus sibi indumenta coaptant. Hi à saliendo, iuxta linguam barbaram, etymologiam ducūt: saltibus enim vtentes



SEPTENTRIONALIV REGIONVM SVETIÆ GOTHIÆ NORVEGIÆ DANIÆ et terrarum adiacentium recens exacta que descriptio per Luinium algeot Auctorem Gerardus de Iode excudebat.

Invenit a Ducevii Lucas a Ducevii fecerunt

SVETIA, GOTHIA ET NORVVEGIA.

arte quadam, ligno incuruo ad arcus similitudinem (nostri *Schrick-schoenen* vocant:) feras assequuntur, Scritto similis à passu faciendo nomen inditum: nam *Schritten* germanis est, passum facere. his itaq; arcibus conferta niuib; iuga percurrunt, neque vlla adeò rupes prominēt, quin ad eius fastigiū callida rursus ambage perueniāt. Primo siquidem vallium profunda relinquēs, scopulorum radices tortuosa generatione perlabitur, sicq; meatum crebræ declinationis obliquitate perlectit, donec per sinuosos collium anfractus destinātū loci aumen exuperet. Suntq; hi Finni vltimi Septentrionis populi, vix quidem habitabilem orbis terrarum partem cultura ac mansione complexi. Acer iisdē telorum vsus, incantationū studijs incumbunt, venationesq; callent. Ab his Finnonicus sinus nomē habet, à Finnis & Finlandiam .i. Finnorum regionem, vel quasi pulchram terram, & Finnonias, Scandiam, Gothiamq; insulas dictas, verisimile est. Atque omnes hæ Suedici regni portiones ac Prouincia sunt, regnum enim quo ad diuitias, tum quo ad reliqua necessaria minimē contemnendum; cuius tamen incolæ si cum reliquis conferantur Germanis, ciuilitatis minus, industria certē ingenijq; fortasse plus habent. Vtpote quouis eorum rustico, omnia penē opificia artē sue mechanicas callente. Vestes sibi singuli suo Marte consuunt, nullo egentes sartore: omnia domo vtensilia, suo ingenio conficiunt, quæ ad rem rusticam agriculturamq; pertinent aptè concinnantes, currus, rhedas fabricantes: funes è subere nectunt, equorum suorum singuli ferro muniunt calcaneos, nullis ad hanc rem fabris existentibus, ita ad omnem ipsi rem parati, nihil non facere nouerunt. Terra ipsa aspera, montibus syluisq; frequentissima, valles tortuosæ & palustres, obliqui colles, rupesq; præcipites, excelsi montes, æstiuo tempore impermeabiles sunt, quædam tamen loca cultui idonea, magisq; propitia sunt. Aquis gaudēt, piscosis riuulis plurimis regionem perlagentibus, ac ex lacu in lacum ducentibus. Vt fluuij sint an manufacti aqua ductus, vix discerni queat. Syluæ ferè nusquam crebriores, quàm in Angermaniæ ducatu, quæ feris etiam varij generis scatent, vtpote quæ Bisontes seu asinos syluestres, quos Incolæ *Elg* vocant, Rangiferos, Vrosq; producant. Minerarum feracissima est & arifodinis frequens Sweuia, è quibus cuprum, ferrum, Calybs eruuntur. Est & Salbergum ciuitas arifodina argenti purissimi, celebris ac famata.

Terminatur autem Swedia ab oriente Finnico sinu, & Liuania, à Septentrione Oceanum, Septentrionalem ab Occidente montes Dofrefiel & Nordwegiam, à Meridie mare Sueuicum seu Germanicum habet. Islandia insula est in Septentrionali Oceano, vento Circio opposita, ac mari glaciali propinqua, vnde & nomen sortita est. Hanc arbitramur eam esse, quam Ptholomeus Thulen appellat. De ea ita tradit Olaus Gothus. Situs Insulæ extenditur in Austrum & Boream longitudine centum miliariorum Germanicorum, pro maiori parte montosa & inculta, præsertim versus plagam Septentrionalem ob austera spiracula vëti Circij, qui nec frutices eleuari permittit. Insula est insolitis miraculis prædicanda. Rupes enim siue promontorium in ea est, cui Hæclæ monti nomen est, quod instar Aetnæ perpetuus ignibus æstuat. Hactenus ille: Dicitur etiam in ea fons esse, cuius vaporibus quæcunque res tactæ fuerint, in saxa mutantur. Piscibus abundat, ita vt ad exterarum nationes mittat. Butyri etiã & Casei copiam habent, ob pabuli quo præstat excellentiam. Vnde ne plus nimium satura armenta disrumpantur, arcenda sunt. Incipiunt prædictæ regiones ab Occidente: sub gradibus latit. 31. min. 15. quo loco sita est *Nurverck* Ditmarsia ciuitas ad ostia Albis fluuij, desinuntq; in Oriente sub gradib; long. 50. quo loco est Vddenæ ciuitas Tanesthiæ Prouinciæ extremæ in ortum regni Suedici. A meridie verò initium sumūt sub gradibus latit. 54. minut. 27. quo loco sita est Hamburga, Stormariæ ciuitas in Cymbrica seu Danica Chersonese, extendunturq; in Septentrionem ad gradum latitudinis 71. Vbi est Warthum munitissima arx in extremis Nordwegiæ finibus. Subiacent itaq; à principio decimi climatis, quod est per Tanais ostia vsque ad principium 18. climatis, quod est per mare glaciale: Vnde parallelus earū Australissimus est 21. vbi dies prolixior horarum 19.½. Borealissimus autem Parallelus est 37. vbi dies æstiuæ continua quatuor mensium, lōga est ab Occidente extremis nimirum Daniæ vsque in Orientē, extrema Swetiæ, miliaria Germanica 210. seu Italica 840. Latitudo autem ab Meridie in Septentrionem est miliariorum Germanicorum 248. vel Italicorum 992.

DANIAE REGNI ET HOL- STATIÆ DVCATVS.

DANORUM nomē Saxo Grammaticus & Crantius à quodam *Dan* patre Huniblo procreato, natum docent, qui non solum gentis conditor, verumetiam rector fuerit. Horum tamen sententiam tanquam erroneam refutat Ioannes Geropius Beçanus, aliamque nominis rationem, originem etymumque prodit in Gethodanijs suis, in hunc modum scribens: Cimmericorum pueri cum populorum innumera multitudine crescerent, & longè latèque Scythiam paulatim occuparēt, varijs se nominibus nuncuparunt: alij aliud in ijs ponendis propositum secuti. Inter hos igitur fuerūt, qui quod belli studijs potissimū oblecterentur, atque in ijs non tam auaritia, quàm generoso animo dicati, victoriam & laudem potius quàm diuitias quærerent, nomen illud sibi ab eo animali sumpserunt, quod inter omnia plurimas naturæ dotes, ad hunc scopum necessarias habere videretur. Gallum igitur Gallinaceū, tum bellicæ laudis, & generosissimi animi, tum indolis regalis, & militis strenui, & ad omnia momenta, vigilis optimum exemplar, vt pro symbolo & synthemate quodam sibi acceperunt, ita nomen quoque ab eo placuit mutuari. Vōcarunt enim sese *die Hanen*, & compositè per concisionem Danen, aspiratione in d litera media delitescēte. Sed quia Danum vocali prima in secundam mutata, *Den*, pro *die hen* dicere solemus, quorum illud gallinaceum, hoc gallinam notat. Fit id (inquit) non citra conuictum. Hi verò populi olim Cymbri dicebātur, tradunturque ijdem fuisse cum Nordmannis. Regio verò eorum Cymbrica Chersonesus, terra nimirum extrema continentis in Arctas extēsa. Cuius populi nunc recensentur Saxones, Cymbri, Charudes, Phundusij, Cobandi, & Chali, quos nos hodie vno nomine Danos dicimus. Regio titulo decoratur Dania, diuiditurque in ducatus Holsatiensem, & Sleswicensem, & Iutiam Prouinciam, ac Insulas complures, de quibus partim in Septentrionalis chartæ descriptione, partim in priuatis earum tabulis tractauimus, alioquin hoc loco prosequeremur ex Munstero desumentes, qui in hæc verba scribit: Tota Dania pen' insularis est, constansque multis partibus, maris faucibus intercepta. Prima est Orientalis, cuius potissima pars est Scania, in qua est Lundensis Archiepiscopus, quæ magnitudine sua & opibus facillè superat reliquas regni Prouincias. Alij vocauerant hanc Daniæ partem Scandinauiam, pro Schondaniam. i. amœnam Daniam, alij Scaniã atque alij Sconingiam. Multis igitur à scriptoribus nominibus compellatur, Schondia, Schondermarchia, Schondania. i. amœna Dania. Plinius aliquo loco Scandiam & alio Scandinauia nominauit: sed mansit illi Scondiæ nomen, quod pulchritudinè significat, quoniam cœli beneficio, telluris obsequio, portuū & emporiorū comoditate, maritimis opibus, lacuū & fluminū piscatione, venatione nobilium ferarum, auri, argenti, æris & plumbi inexhaustis venis, oppidorum frequentia, ciuilibus institutis nulli cedit beatæ regioni. Occidua pars Daniæ est Iutia, quam Ptolomæus appellat Chersonesum Cimbricam, quæ instar linguæ procurrat inter duo maria longè in Boream, quemadmodum Italia in Austrum porrigitur. Habet autem Iutia pro termino australi Eydoram fluuium, qui decurrit ad occiduum, exitque in mare Britannicum. Frisios dirimens à Tiethmarfis, Limes proinde Daniæ atq; Holsatiæ. Procurrat

autem Iutia itinere sex dierum in Aquilonem vrbibus aliquot insignita ad vtrumque mare Balticum & Britannicum. Hæc regio hodie præter ducatum Sleswicensem in tres diuisa est Episcopatus, Sleswicensem, Ripensem, & Arusiensem. Hæc itaque duæ regiones Scania & Iutia extremitates sunt regni Daniæ, & præcipua membra, quibus interceptæ sunt multæ insulæ: quarum locupletissima est Sialandia, in qua multæ sunt ciuitates & arces atque regia ipsa Copenhafnia. Ibi Roschildia olim potens & munita ciuitas, ecclesijs decorata, & regum monumentis, nunc autem ad tenuitatem perducta. Longitudinem habet hæc Insula itineris bidui, atque latitudinem ferè æqualem. A Selandia in Scaniam traiectus multi, breuissimus in Helsingborgi. Est Scania pulcherrima prouincia, armata viris, opulenta frugibus, diues mercibus, templis plena, & nunc hæc cum captura felix & insignis, duplici magnitudine ad Sialandiam. Vndique cingitur hæc Scania mari, præter vnum terræ brachium, quod porrigitur in Boream, ac deinde recuratur ad Orientem, vbi Suedæ iungitur: sed intercedunt profundi saltus, asperrimæque rupes, per quas à Scania in Gothiam (quæ est pars Suediæ) iter agitur tam difficile, vt ferè leuius sit marino discrimine vitare terrestrem laborè. In sinu Codano quindecim numerantur insulæ, quarum potissima Fionia, inde Falstera, Lalandia, & cæteræ non tam insigni nomine, præter Sialandiam cæterarum reginam, & quæ caput regni censetur. Est & Fimbria, quam Cimbricam dici debere aiunt nonnulli, vnde Chersoneso nomen. Fionia insula in longitudine habet miliaria duodecim, & in latitudine quatuor. Metropolis eius vocatur Otonium, vulgò *Odensch*, ciuitas episcopalis, satis bene exstructa, sed malè munita, quippe quæ per bella sæpè fuit depopulata & exusta. Ager Insulæ est valde fertilis, & qui nunquam stercoretur, ideo ante ciuitates magnus fœtor, ob abiectos pecorum fimos, qui ibi nulli sunt vsui. A Scania in Orientem insulæ sunt multæ, quæ sæpè mutauerunt ditionem. Ibi Gothlandia, nunc Daniæ coronæ, olim Suedicæ subiecta, ibi Borholm cum nonnullis alijs. Ingressus in Daniam patet per Holsatiam, quæ regio mutauit nomē suum ex lingua vernacula, eò quod terra illa sit nemorosa & saltubus occupata, ad differentiam vicinarum partium, quæ palustres sunt & pascuosæ. Thermæ in hisce partibus nullæ ab authoribus celebratæ sunt. Terminatur autem Dania seu Danorum marca ab ortu Swedia, à Meridie Saxonia & Westphalia, ab Occidente Oceano Germanico, à Septentrione Nordwegia. Incipit autem ab Occidete sub longit. graduū 29. minut. 38. Vbi Lutketonder oppidum, ac desinit in Oriente sub longitud. graduum 37. Vbi Eleholm Scaniæ oppidum, à Meridie initium sumit, sub latitud. grad. 55. minut. 45. Vbi Rensiborgum Holsatiæ, ac in Septentrionem extenditur ad latitud. graduum 59. minut. 5. Vbi Cimbricum Promontorium. Subiacet itaque à principio 15. climatis, quod est per extrema Scythiæ, vsque ad initium 17. quod dicitur per Islandiam. Ita vt Parallelus eius Australis sit 31. Vbi dies artificialis prolixior horarum 22. Boreus autem sit 35. Vbi dies artificialis maxima mensium duorum. Longa autem est ab Occidente in Orientem miliaribus Germanicis 63 $\frac{3}{4}$. vel Italicis 265. Lata verò Germanicis 50. vel Italicis 200.